THESES
PHILOSOPHICÆ,

Quas auſpice & propitio D.O.M.

Adoleſcentes Magiſterii Candidati, In
ACADEMIA MARESCHALLANA,
Die 17 Julii, Anno 1643.

In Publico Doctiſsimorum Virorum Conſeſſu Propugnabunt, ab Aurora ad Meridiem.

PRÆSIDE IOANNE RAYO.

CIC. IN QUÆST. ACADEM.

Neſcio quo modo pleriq́ue errare malunt, eamq́ue ſententiam, quam adamaverunt, pugnaciſsime defendere, quam ſine pertinacia, quid veriſsime dicatur, exquirere.

Abredoniæ, imprimebat E: Rabanus.

Generoso Adolescenti,

Stirpe ac Virtute conspicuo,

DOMINO

LODOVICO GORDONIO,

Illustris & Generosi Viri,

D. ROBERTI GORDONII,

Strenuissimi Equitis Baronetti,

Secretioris Concilii in Regno

Scotiæ Senatoris consultissimi,

Cubicularii Regii fidelißimi,

DOMINI à GORDONSTOUN,

FILIO NATU MAXIMO,

Mæcenati nostro Munificentissimo,

S. O. C.

VEram terrestrium, Cœlestiumque notitiam, GENEROSE DOMINE, Magnam veræ felicitatis partem, non pauci, præclaro, licet, genere oriundi, vanis hujus mundi volnptatibus mancipati, impr

imprudenter, negligunt. Abſurdiſſimum quorum errorem deteſtatus ſapientiſſimus tuus parens, eruditionis juxta ac virtutis amantiſſimus, non cocco te ſplendere puerum, non molli otio diffluere voluit: ſed ſeveriori Præceptorum ferulæ, magna prudentia, opportune, ſubmiſit. Ubi ſtatim, ex herbeſcente, ſegetum viriditate, certiſſima uberrimæ futuræ meſſis, ſpes non exigua, univerſis te cognoſcentibus, teque amantibus facta eſt. Humanioris namque literaturæ, in Anglia, natali ſolo, multiplici devorata moleſtia, bonorum, de te, Præconceptam ſpem, confirmaturus, Anglia relicta, (ad nutum utique Prudentiſſimi Patris, compoſitus filius) in Scotiam migraſti, inq; celeberrimam Mareſchallanam Academiam, ephebus aſcendiſti: Ubi non pingui otio, marceſcens ſed in opus pertinaci diligentia incumbens, primum, Anglicæ maternæ Linguæ, Gallicæ, Latinæ, Græcam (Quam eruditus olim, & ſeverus Cato, auctore Tullio, in ſenectnte tandem didicit) juvenis, adjuuxiſti. Pergis, deinde non Muſarum limine tantum ſalutato, aliorum more, laboris impatiens reſilire, ſed Logicæ ac ſanioris Phyloſophiæ præcepta, indefeſſa induſtria, ac fœlici ſucceſſu, ex Profeſſorum ore, & ſubtiliſsimis eruditorum virorum Commentariis, aviditſimus haurire: Noſtrumque nobis quamvis tenuioris fortunæ patrimonium, virtutem ac ſcientiam, licet opulentus, eripere. Etenim, dignus es Muſarum amore, ipſe utique

Minervæ

Minervæ fidelis cultor, tuo, alios præclaro loco oriundos, exemplo, ad ejusdem obsequium allicis, & quasi subdito calcari, impellis. Nec minor in bonis moribus, quam literarum studiis profectus tuus; etenim, sinceræ in DEUM pietatis, exemplaris in præceptores observantiæ, sobrietatis, castitatis, affabilitatis, pacisque facem, omnium ordinum condiscipulis, prætulisti, tibique, cunctorum, qui te noverunt, amorem, merito conciliasti. Denique, optatissimum te, prædicamus, omnigena virtute Cumulati Patris filium, in quo parente tuo, nobilissimorum Sutherlandiæ comitum, decoro germine formando, summus rerum artifex, subtiliori penicillo, in opus, incubuisse videtur. Fœlix, porro, illustris parens tuus, benigna, opulentioris fortunæ, indulgentia: Animæ, vero, virtutibus, consultissima prudentia, rara, in aula Regia, tot retro annis manifestata Regi, regisque subditis, fidelitate, grata comitate, singulari in omnes affabilitate, fœlicior. Sed, te, adolescente graphico, totque virtutibus adornato hærede, fœliciſsimus. Quamobrem, generose Domine laborum nostrorum publicatas primitias, ad tuæ generositatis, aram sistimus, ut ex se imbecillem hunc nostrum Primo-genitum fœtum, a mordaci cujuslibet oblatrantis Momi dente, clypeo tuæ dignitatis objecto,

defend

defendas. Interim, ſtirpe, fortuna, virtute, eruditione tua, vt diu, feliciter fruaris, DEUM OPTIM. MAX. ſerio, comprecamur.

Tuæ Generoſ. deditiſſimi,

ALEXANDER GREGORIUS,
ALEXANDER LESLÆUS,
DONALDUS BANUS,
IACOBUS MACKENZÆUS,
IACOBUS REIDÆUS,
IOHANNES DOLASIUS,
GULIELMUS CAMERARIUS,
GULIELMUS KEITHEUS.

THESES LOGICÆ.

A Viris non vulgariter eruditis, defensa est perpugnaciter opinio, universale fieri per præcisionem objectivam. nos verò nullius jurati in verba Magistri, efficacissimas rationes fallaci hominum authoritati præferentes, arbitramur, universale fieri per solam præcisionem formalem.

2. *Toto Cœlo à veritate aberrasse nobis videntur, qui supponunt potius quam efficaciter probant, universale, quod est de Essentia individuorum realium, esse fictitium quoddam rationis Ens; cum verè sit Ens realissimum, sive materialiter, sive formaliter, consideretur. Genera & species individuorum realium, quamvis formaliter concipiantur, Entia rationis non sunt.*

3 *Apud Pythagoræ Discipulos tantum opinio præjudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret authoritas. Multorum certe doctorum & nunc, Disciplina videtur esse Pythagorica; qui ne veterum Philosophorum fortè manes violent, Denarium prædicamentorum numerum diminuere, piaculum ducunt. Nobis verò amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica est ipsa veritas hæc; una tantum est Categoria. Interim ne infirmo videatur sententia nostra innixa fundamento, hoc solidissimũ substernimus, frustra fit per plura, quod fieri potest, per pauciora.*

4 *Quidam meticulosi nimis verentur, quicquam concedere commune univocum, DEO & creaturis, substantiæ, & accidenti; Nos vero cum nihil contineat hoc dogma, vel Fidei, vel rationi naturali, adversum, intrepidi propugnabimus, rationem Entis univocam esse, respectu DEI & creaturarum, substantiæ, & accidentium.*

5 *Subſtantia & accidens, ſubſtantia finita & infinita, in eodem directè ſunt prædicamento.*

6 *Nonnulli, relationem ſola ratione à fundamento differre volunt: aliis hic placet diſtinctio modalis. Nos verò cenſemus non minori diſtinctione reali relationem à fundamento diſtingui, quam animam Petri à toto Petro.*

7 *Relatio à fundamento & termino, nec realiter nec modaliter ſeparatur, illis quippe identificata.*

8 *Abſtracta de concretis quibus identificantur, poſſunt verè & in recto prædicari: non tamen qua ab iiſdem realiter differunt.*

9 *Datur actio ſine ſubjecto, Nulla tamen ſive immanens, ſive tranſiens ſine termino.*

10 *Noſtra ſcientia non eſt reminiſcentia; omnis namque cognitio intellectiva humana quamdiu anima informat corpus, ex præcognitione ſenſitiva naturaliter ducit originem; oportet enim intelligentem ſecundum Philoſophum ſpeculari phantaſmata. falſa eſt igitur ſententia Platonis aſſerens animas ante corpora extitiſſe, vel rerum omnium ſcientias habuiſſe: Cum ex tanto animarum numero, nec una ſit inventa quæ talium ſcientiarum memorem ſe, unquam demonſtravit.*

11 *Dictum de omni, & dictum de Nullo, non ſunt primum ſyllogiſmorum fundamentum: quia datur prius; nimirum, quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe.*

12 *Prædicta ſyllogiſmorum baſis, venerando ſacroſanctæ trinitatis myſterio, ut quidam falſo putarunt, minime repugnat.*

13 *Datur ſyllogiſmus qui neque topicus eſt, neque ſophiſticus, neque demonſtrativus; qui ſcilicet nec ſcientiam, nec opinionem, nec errorem gignit.*

14 *Definitio eſt oratio explicans rei naturam.*

15 *In canones legitimæ definitionis non impingunt, qui idem perſeipſum definiunt. Hoc enim neceſſe eſt fiat in*

quacunq

quacunque bona definitione; cum definitio & definitum identificentur.

16 *In Definitione proximum genus collocari debet. Alioqui definitio aliis à definito conveniret.*

17 *Omnia genera ſubordinata ſine errore exprimi poſſunt in definitione; ſed brevitatis cauſa non ſolent.*

18 *Noſtris Logicæ tyronibus notiſsimum eſt, ne quidem definitionem eſſentialem genere & differentia ſemper conſtare debere.*

19 *Increata ſubſtantia & creata, & accidentia, & entium modi, genus denique ſupremum, definitione eſſentiali definiri poſſunt.*

20 *Diviſio ſpeciei in partes Eſſentiales, ſive Phyſicas, ſive Metaphyſicas, ab ejuſdem Definitione, ne Formaliter quidem differt.*

THESES ETHICÆ.

SOlus *DEUS* ſine creaturis poteſt hominem objective beatificare.

2 *Intima DEI præſentia naturalis in creaturis, quæ illi ratione immenſitatis convenit, ex ſe non beat. Alias fœlices eſſent damnati in inferno dæmones.*

3 *Ipſam Divinitatem finxit (vt quidam referunt) Henricus Gandavenſis ipſius animæ ſubſtantiæ illapſam, eandem formaliter beatificare, & in ſe quodammodo transformare. Quod ſi exiſtimaverit hoc fieri potuiſſe, ſine vitali ipſius animæ operatione, opinionem ejus vt abſurdiſsimam rejicimus.*

4 *Fœlic*

4 *Fœlicitas formalis hominis eſt aliquid animæ inhærens: non actus primus, nec habitus, nec ſpecies impreſſa; ſed actus ſecundus ſeu operatio. Contendunt inter ſe Theologi, vtrum fœlicitas ſit intellectus an voluntatis actio, viſio, an amor. Nos (ſi noſtrum inter tantos tantas componere lites) litigio hoc paucis compoſito, per vtriuſque facultatis operationem, formalis beatitudinis Eſſentiam complendam eſſe, argumentis plus quam topicis perſuaſi ſumus.*

5 *Jus eſt menſura Juſtitiæ, & Lex eſt Regula Juris. non ergo falcem in alienam meſem injiciunt Philoſophi Morales, qui juſtitiæ eſſentiam tenentur enucleare, ſi & Legis Naturam attingant.*

6 *Lex eſt menſura actionum moralium, dirigens (oſtendendo ſcilicet quid agendum ſit) ſimulque obligans vt quid agendum ſit, agamus, quidve omittendum, omittamus.*

7 *Lex dirigit quatenus eſt Regula noſtrorum actuum: quatenus etiam eandem Regulam ſervare tenemur, obligat; ſive illa obligatio oriatur ex natura rei, ſive ex voluntate & poteſtate ſuperioris.*

8 *Lex eſt fundamentaliter in rebus ipſis: ſubjective, in intellectu & voluntate ſuperioris: in ſolo intellectu ſubditorum: in voce autem tabulis & Scriptura, tanquam in ſigno.*

9 *Cum Lex ſit Regula non obligat niſi cognita, adeoque per ſufficientem promulgationem manifeſtata.*

10 *Quodlibet mandatum ſuperioris Lex non eſt: Lex enim humana vt ſit legitima, certas poſtulat conditiones: Primo, Cum ſit Regula rectitudinis noſtrorum actuum, debet eſſe juſta. Idcirco Lex mundi membrorum, &c. Legis appellationem Analogicè tantum in Sacra Scriptura ſortiuntur. Secundo; Nihil legitime poteſt præcipere quod prohibet Lex Divina, vel contra; quia nullius Inferioris Mandatum obligat, contra voluntatem ſuperioris. Tertio;*

Præcipiat

Theſes Ethicæ.

Præcipiat poſsibilia (Nemo enim tenetur ad Impoſsibile) & bono communi conducentia: ſalus namque populi, ſuprema Lex eſto, vel potius Legis cujuſlibet finis.

THESES PHYSICÆ.

Materia, cum naturam, exiſtentiam, & ſubſiſtentiam habeat propriam, quidni poteſt ad aliquod ſaltem tempus, ſine omni forma ſubſtantiali exiſtere.

2 *Quantitas à mundi primordio producta ſimul cum materia, eum nec defectu ſubjecti, nec cauſæ conſervantis, nec actione contrarii, unquam deſinat, neceſse eſt eſse coævam materiæ.*

3 *Diſpoſitiones prævia ad formam ſubſtantialem, nec toti compoſito, nec formæ tanquam ſubjecto inhærent, ſed Materiæ.*

4 *Inſtrumenta naturalia ſunt cauſæ efficientes effectuum naturalium: Non verò artificialia, artefactorum.*

5 *Corporum naturalium cauſa efficiens ars humana eſse nequit: inefficax propterea eſt vis characterum, imaginum, numerorum, incantationum: Quicquid hujuſmodi damnandis ſuperſtitionibus mancipati, falſo prætendant.*

6 *Helleboro, non argumentis curandi ſunt, qui creaturarum efficientiam denegarunt.*

7 *Cauſa Phyſica eſt natura prior effectu, & ab eodem realiter diſtincta.*

8 *Projecta moventur à qualitate impulſiva, ſibi ipſis impreſſa à projectore.*

9 *Mundus, cui à pulchritudine & ornatu nomen eſt impoſitum, quamvis multa contineat imperfecta, ſummi opificis DEI perfectiſſimum eſt opus. Interim multis modis perfectiorem fieri potuiſſe, negare non audemus.*

10 *Alexander Macedo cum ex Anaxagora innumerabiles eſſe mundos audivisset illachrymavit, qui nedum vnius Dominus factus eſset. Si in vivis foret ambitioſus Imperator, lachrymas fortè fiſteret. Vnicum enim mundum eſſe, licet Plato cum Ariſtotele incertis probaverint argumentis, rationi naturali eſt ſatis conſentaneum, & ex Fide certiſſimum.*

11 *Ex quorundam ſententia Angeli, perpetuæ cœleſtium ſphærarum gyrationi mancipati ſunt. Ex noſtra verò mente, ſublimes illi Spiritus, immunes ſunt ab omni vertiginoſo hujuſmodi obſequio; quippe quod cœleſtes orbes à propria forma effectivè moveantur.*

12 *Cœlum in ſtatu, & loco naturali ab intrinſeco movetur, idcirco animatum eſſe non veremur, affirmare.*

13 *Cœleſtium corporũ anima, nec eſt vegetativa, neque ſenſitiva, neque rationalis.*

14 *Eſt quidem Cœlum ſpecioſum & perfectum admodum corpus. Multa tamen ſunt corpora ſublunaria cœleſtibus perfectiora.*

15 *Cum plurima apud nos effecta naturalia producantur, quorum cauſæ particulares in inferiori mundo non exiſtunt: nec a cœlo per lucem fieri poſſunt. Neceſsarium fuit concedere, occultas influentias, qualitates ſcilicet inſenſibiles, per quas cœlum in ſublunaria, operetur.*

16 *Philoſophorum multi, non ſine ſollicita indagine, hucuſque quærebant, cauſam principalem DEO ſubordinatam, metallorum & imperfectorum animantium, nullo mediante ſemine productorum. Quorum cauſa nobis, & quidem principalis, Cœlum eſſe videtur.*

17 *In*

17 *In aliis corporibus motus localis non eſt ratio agendi: nec conditio ſine qua non. neque ſimiliter, in cœlo.*

18 *Aquas elementares eſſe ſupra cœlos ſidereos, pro commento habemus quorundam commentatorum ſacrum textum ad ſua figmenta ſtabilienda abſque vlla neceſſitate, detorquentium.*

19 *Corruptio eſt naturalis materiæ, formæ, & compoſito.*

20 *Generatio vnius non eſt corruptio alterius, nec formaliter, nec identice, nec cauſaliter.*

21 *Nunquam naturaliter fuit, nec erit reſolutio vſque ad materiam primam.*

22 *Rarefactio nec ad quantitatem, nec vbi terminatur, ſed ad qualitatem.*

23 *Poteſt corpus exigere majorem locum, ſine novæ quantitatis vel materiæ acceſſione.*

24 *Major denſitas juvat ad agendum, non vt virtus activa: Neque ſic, vt poſſit ejus ratione agens producere in paſſo effectum ſe intenſiorem: conducit tamen vt diſpoſitio.*

25 *In Fœtu humano, nulla eſt ſucceſſio, nec multiplicitas animarum.*

26 *Anima humana cum ſit ſpiritualis, eſt tota in toto, & tota in qualibet parte.*

27 *Satis eſt probabilis ſententia, diſtinguentium realiter facultates animæ ab eadem.*

28 *Lumen ſubſtantia corporea non eſt, cum corpora diaphana intime penetret: ſed eſt qualitas.*

29 *Color apparens eſt ipſum lumen variè modificatum: color verus à lumine realiter differt.*

30 *Dantur ſpecies ſenſibiles, per quas objecta diſtantia cum ſenſoriis vniantur.*

31 *Non*

Theſes Phyſicæ.

31 *Non ſine neceſſitate admittunt Philoſophi intellectum agentem: fruſtra tamen concederent ſenſum agentem.*

32 *Potentiæ ſenſitivæ quæ per ſpecies cognoſcunt, ſunt & activa, & paſſiva.*

33 *Quæ animalia nocte tenebroſa vident (quod de Tyberio Imperatore memoriæ proditum eſt, & ex noctuis, felibus, ac leonibus clarum) intrinſecum habent in oculis lumen, per quod medium diaphanum illuminant.*

34 *Potentiæ inorganicæ permanent in anima ſeparata: non vero organicæ multi etiam habitus quos hic acquiſivit. quidam tamen vt ſeperationis ſtatui repugnantes, tunc neceſſe eſt ab eadem exulent.*

35 *Habet anima ſeperata ſpecies præter exſportatas: alias tolleretur, politia, inter ſeperatas animas, vbi ſemper occurrunt nova. & vnde infantium morientium animæ ſpecies haurirent?*

36 *Hæ ſpecies nec ab ipſa anima, nec à rebus procedunt, ſed a DEO ipſo infunduntur. DEUS enim vt naturæ author ſupplet defectum intellectus agentis, ſpecies infundendo.*

THESES METAPHYSICÆ.

DEUS *non eſt indigus opis alienæ vt ſit: Cum eſſentialiter ſit Ens a ſe: Creatura verò ob finitatem & limitationem ſuæ naturæ non poteſt eſſe in rerum natura, niſi ei communicetur eſſe ab alio. Hinc ſeriò perpendenti clarum eſt, quanta ſit indigentia, vilitas, imo nullitas creaturæ ex ſe, quantumvis perfectæ, ſi cum creatore conferatur.*

2 *Cum*

2 *Cum appareat omnia eſſe producta propter aliquem finem: Nec detur in finibus progreſſus in infinitum: Neceſſe eſt tandem devenire ad finem aliquem ultimum; qui non eſt alius quam* DEUS *& quamvis pleraque omnia ſint propter hominem, hoc tamen non impedit, quo minus, illa quoque Entia quæ ſunt homine inferiora, ſint propter* DEUM. *Quia etiam ipſe homo non eſt propter ſe, ſed propter* DEUM.

3 *Nonnulli de nomine potius quam de re litigantes, negaverunt eſſe in* DEO *ideas. Cum tamen omnium producibilium, non modo proxima ideæ, ſine qua nihil artificioſum fit: Sed remota quoque* DEO *inſit. Omnia ſiquidem producit, quatenus eminenter continet, eſtque abyſſus perfectionum; quarum ſtillæ in ſingulas creaturas diſperguntur, tanquam in participationes plenitudinis illius quo tantum ſenſu, ſi Plato aſſeruerit ideas, immeritò ab Ariſtotele Diſcipulo toties videtur correptus.*

4 *Idea remota, ſive ratio prototypa a qua dependet ens ab alio, eſt eſſentia Divina, quatenus inadequate repreſentabilis per creaturas eminenter in ea contentas. Proxima, eſt conceptus objectivus ipſiuſmet Entis ab alio.*

5 *Intelligentia viribus ſuis, & per modum cauſæ principalis, nec materiam, nec formam ſubſtantialem, ſive materialem, ſive immaterialem, nec vlla corpora, nec vllas qualitates materiales, præter impulſum, poteſt producere. Quare diſtinctam a facultate motrice vim exſequentem non habet.*

6 *Cum generatio viventis ſit origo viventis a vivente tanquam a principio activo conjuncto ſecundum ſimilitudinem naturæ; nequeunt Angeli, viventia, animalia, vel homines generare, norunt interim Orthodoxi Theologi, qui & quo ſenſu Filii* DEI *ſexto Geneſeos nuncupentur.*

Theſes Metaphyſicæ.

7 *Priori Theſi non obſtante, ab hominibus & multo magis Angelis plurima poſſe fieri & inanimata, & animata, applicando quidem ritè activa paſſivis, neminem in hac parte Orthodoxum, vel Philoſophum, vel Theologum, inficiatorem ſe, merito profeſſurum, ſperamus.*

FINIS.